



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118634

§. 80. Regis responsum ad Deputatorum postulata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

Sæcul. XVI. ædium fenestram gula fracta suspensus
 A C 1571 fuisse (*).

§. LXXX.

*Regis responsum ad Deputatorum
 postulata.*

Ad cetera Deputatorum postulata Rex hæc respondit I. Hospitalius Cancellarius tam gravi pressus est senio, ac viribus tantopere exhaustus, ut huius officii oneri ferendo impar sit II. de revocando Villario Marchione cum Navarræ Principe agatur III. Cardinalem Lotharingium, & Guisii Ducem subito offen-

(*) Observes velim, quod erga Calvinistas, postquam ipsi omnium malorum auctores toties antea Sacerdotes, atque innoxios Catholicos cædibus, rapinis, aliisque innumeris calamitatibus oppresserant, nunc tamen in Galliis maxima adhibita fuerit clementia, & benignitas, imo iidem etiam Catholici, qui illos ex Religionis zelo læserant, pænis fuerint castigati, nihilominus hac ipsa clementia nunquam ad meliorem frugem reduci poterint: ex his igitur colligi potest, quod Pseudo-Catholici unice ex eo fine S. Inquisitionis severitatem damnent, ac benignitatem erga hæreticos commendent, ut hi hæresin suam impune propagare, & Catholicam fidem evertere possint.

offendere minime decet, cum ambo præclara admodum obsequia regno præfiterint, res igitur mature ponderanda venit, quam priusquam ad hæc extrema procedatur IV. Denique Rex consentire videtur, ut Valleria arx restituatur. Hoc responso contenti rediere Deputati, atque Navarræ Reginam, ejus Filium, & Colinium Maris Præfectum de Regis animo ad pacem propenso certiores reddiderunt.

§. LXXXI.

Castillionæi Cardinalis exauditorati interitus.

Hoc item anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo primo die quarta Februarii Odetus Colinius Castillionæus antea S. R. Ecclesiæ Cardinalis, Tolosanus Archipræsul, Bellovacensis Comes, & Episcopus, pluribusque aliis Abbatiis auctus infelicem animam evomuit Homptoniæ prope Cantuariam in Anglia, quo illum aufugisse superius memoravimus. Hic Colinii Archithalassi frater perfide fidem Catholicam ejuravit, seque sacrilegiis nuptiis polluens summa pertinacia Calvinistarum sectam defendit, cumque in Anglia moraretur, Franciæ Regis jussu de Elisabethæ Reginæ matrimonio cum Henrico Andegavensi Duce

in-

Sæcul. XVI.
A.C. 1571.

Ciacon. p.
527.
Hist. Aubi-
gne l. 4. c. 14.
Aubery des
Cardin.